



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

36. Quomodo Anastasius Imperator in Ecclesiam Catholicam, eisq[ue]  
Antist. crudelis, diuinitus punitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

urbis ditioni gētis, de qua supra dixi, subiecta,  
 Ioannis Baptistæ tumulum aperiunt, ossa tra-  
 hant igni absumenda, & eorum cineres pas-  
 sim dispergunt. Scelus autem ab illis in Phœ-  
 nicia patratum, quis est quæso, qui sine lachry-  
 mis possit commemorare? Nam Heliopoli,  
 quæ est vrbs Libano finitima, execrabiles isti  
 gentiles recordati facinoris Cyrilli diaconi,  
 qui regnante Constantino diuino quodam  
 zelo accensus, multa simulachra, quæ in ea vr-  
 be colebantur, confregerat, non modò eum  
 interfecerunt, verumetiam dissecto ventre ie-  
 cur eius degustare non sunt veriti. Verùm De-  
 um omnia contemplantem hoc celare non po-  
 terant, sed debitas sui maleficij poenas ei de-  
 derunt. Nam quotquot illius sceleris labe in-  
 quinati sunt, primùm amiserunt dentes, qui  
 præter omnes ad vnum excidebant: deinde  
 linguas perdiderunt, quæ putredine tabefa-  
 ctæ, ex ore affluebant: postremò oculis orbat  
 sunt: quorum calamitatibus verè pietatis vis  
 clarè prædicata est.

*Ioannes Moscus Euiratus in prato spiritua-  
 li cap. 38. Glycas parte 4. Annalium Con-  
 stantinus Manass. in Annalibus. Ana-  
 stasius Imperat. in Ecclesiam Catholicam  
 cuiusq. antistites crudelis, diuinitus punitur.*

## CAP. XXXVI.

**A** Anastasius Imperator, cùm eiecisset Eu-  
 phemium & Macedonium patriarchas  
 Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac pro-  
 pter

pter sanctam Chalcedonensem Synodum illos Caitan in Pontum exilio relegasset, vidit in somnis idem Imperator virum quendam insignem vestitum amictu candido, contra se stare, codicem scriptum ferentem, ac legentem. Evoluens autem quinque folia codicis, legensque Imperatoris nomen, ait illi: Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim annos: & digito suo illos deleuit. Ac post duos dies, facto fulgore magno, atque tonitruo, pauore turbatus reddidit spiritum in summa angustia, pro eo quod impius fuit in sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, eiusque pastores exilio damnauit.

*Ioannes Moscus Eniratus c. 149. Prati Spiritu-  
tialis. De onere sacerdotij. et D. Leone Papi-  
fice ac summa circumspectione adhibenda in  
manuum impositione.*

C A P. X X X V I I.

**C**VM descendisset Abbas Amos Hieroso-  
lymam, & Patriarcha ordinatus esset, ve-  
nerunt omnes monasteriorum eremi  
Abbates, vt adorarent eum, inter quos affui &  
ego cum Abbate meo. Coepitque Patriarcha  
dicere patribus: Orate pro me, patres. Magnū  
enim onus, & intolerabile iniunctum est, sa-  
cerdotij dignitas me terret immodicè. Petri  
enim & Pauli, & similia est regere rationa-  
les animas, ego autem infœlix peccator sum.  
Plus autem quam cetera timeo ordinationum  
sarcinam. Nam inueni scriptum, quia beatis-  
simus